D. [illegible] Seraph.

Sublimitas ignis seraphici seu Sublimia Seraphici Doctoris Divinissimi Bonaventurae decora —

SUBLIMITAS IGNIS SERAPHICI

SEU

SUBLIMIA

SERAPHICI DOCTORIS DIVINISSIMI

BONAVENTURÆ

DECORA

per utramque

Virtutis & Sapientiæ

Sphæram

In Ecclesiâ AA. RR. PP. Ordinis Minorum

S. FRANCISCI *Conventualium*

Ab Uno è Societate IESU

Oratoriâ Panegyri

DEDUCTA.

POSNANIÆ.

Anno 1686. 14. *Julii.*

Superiorum permissu.

****

Typis Academicis Societatis JESU.

15.

ORATIO
PANEGYRICA.

QVod summum est, aliquando non fuit. Rosa, ante purpuram, vile germen: ut erubescat, non semper se floruisse, & ad folia spinasq; ætatem expectâsse. Quos hodie miramur Apenninos, Pelion, Ossam, pulvis aut arena fuerant: cæteriq;, quos jam nec Gigantum attollat manus, * *Ex atomis tumuêre montes.* Fluvij Oceanum aucturi, parvâ funduntur origine: fons illorum unico transmittitur saltu, levi folio turbatur, solâ exhauritur manu. Ægyptiæ Pyramides, & facturæ umbram soli Babylonis Turres, quot, quantiq; lapides, antequam tanta moles! quoties artificem passa manum, saxa, ut tollerentur in Colossum: quoties ferri malleiq; subierunt ludibria, ut orbis miracula dicerenrur. Nos ipsi mortales, quantùm cum primo nostro assurgendi à terrà luctamur fato! Obsecramus naturam lacrymis, jmploramus vagitibus, ut nobis liceat crescere, jactatisque malè dexteris palpamus infantes, quâ pateat via nobis, ad sublimitatem staturæ. Diu humi serpimus, diu abjectorum instar animalium repimus, & vix homines sumus, antequam viri. Quanta demum hæc tot petita ærumnis proceritas! excussus pede nostro pulvis, latiùs, altiùsq; spargitur, quàm ipsis nobis assur

* P. Ines in Leck.

 gere

gere liceat. Quantumvis sublime, incedamus, scimus sero nos crevisse: cùmq; simus maximi, recordamur, diu nos fuisse parvos. IGNIS hæc SERAPHICI SVBLIMITAS est, nescire intervalla crescendi. Cæpit aliquando D. BONAVENTVRA, & hoc, quòd inceperit, quantum est! Confudit initia nascendi, magnitudine: coegitq; nos dubitare, utrum, qui simul & statim tam magnus fuit, aliqvando inceperit. Mirata est, se talem edidisse Natura, & nisi edidisset, desperasset, talem edere se potuisse. Quanquam prævertit admirationem illius BONAVENTVRA, nec mirari licuit eum maximum esse, nisi postquam fuit. Tunc demum aspexit manus suas Natura, seq; ipsam & vires suas de illo interrogavit; fuitq; ei difficillimum, de tanto sibi opere respondere. Oblita enim jam fuerat se tales parere posse, quòd post multa retro sæcula, nullum illi similem genuisset. Ita, obruta fuit insolentiâ partûs, neq; quem orbi dedisset, assequebatur, ut jure ambigamus, utrum Terris illum concederet, si doni magnitudinem intellexisset.

Vix se mortalium exhibuit aspectibus, Viro similior visus, quàm Infanti, prodigio propior, quàm homini. Quâlibet Sapientiam despumabat lacrymâ, singulis vagitibus consecrabat auras, primo ab imis visceribus ducto anhelitu spirabat Seraphinum. Sed quò me tristius avertis fatum! cerno Seraphicum Infantem occumbere, non nasci, non reclinari cunis, sed sepulchro efferri. * Nascitur semimortuus BONAVENTVRA, & propè est, ut IGNIS SERAPHICVS ante lucem extinguatur. Quid portenditis Superi? terris illum ostendetis tantùm, non dabitis? Doctorem Laureis, Infulis Antistitem, Senatorem Purpuræ, Virtutibus eripitis Angelum! Scimus, quò vestra vos vota stimulant, quò audax trahit facinus; Aufertis illum, non invitatis, ne terræ habeant, quod illis

* Biyerius in vitâ l. 1. c. 2.

illis cœlum invidere poſsit. Quare ipſi Tibi BONA VENTVRA lethi feſtinationem imputa: abſtinet ſuas à Te ſuſtinendo manus Natura, quòd religioni ſibi ducat, tantam Tui Sanctitatem contingere. Quanquam, cùm Te ita excedere ſinit, dubitat, utrum, ſi vivas, ingentem DOCTORIS PRÆSVLISQVE Spiritum alere ſufficiat. Ipſa formidat Tellus, ne demum impar ſit ferendæ magnitudini Tuæ; ignara quod eundem Te portaret ſemper, cui nihil præter annos poterat acceſsiſſe. Cæterùm, qui ſic decedit, non habet, ubi in terris veſtigium ponat, terris major. Ita Tellus hæc, quæ Senecæ videbatur punctum, * BONAVENTVRÆ, aut nihil, aut puncto minus eſt. Dicam quod ſentio: ſcivit, quantùm Superi procul orbe noſtro diſtarent, ad quos feſtinato itinere contendebat. Haud dubitarent Terræ, quod, eas grandior deſpiceret, quas, jam tunc, cùm vix poſſet vivere, potuit contemnere. Ideo, natus, ſemivixit, quòd indignus eſset orbis, cui totus viveret. Semimortuus eſt, quia mori totus non poterat. Dimidium vitæ mundo intulit, quod corruptiſsimo ſæculo grave eſset, integerrimam illius vitam ſuſpicere. Verumenimverò impetus hic IGNIS SERAPHICI erat, quo terris altiores involabat Sphæras. Erigere ad Zodiacum Dive Infans! hìc Tibi patria eſt, Flamma Cœleſtis: hæc Te Innocens Aſtrum Lactea poſcit via: hæc majorem hominibus Semi-deûm ſibi vendicat regio. Suſtine tamen adhuc paulisper terras, priuſquàm Te ſiderum attollat plaga; etſi propior terris inſtar Cometæ ardeas, nunquam fatalis mundo eris. Pluris Tui nobis viciniam, quàm noſtra æſtimamus commoda. Hilareſcite oculi ad fortunæ veſtræ ſpectaculum! vivit BONAVENTVRA, & ne ſolus ante lacrymas riſerit Zoroaſtres, infantili ſuo inſultat fato. Altiùs effulſit IGNIS SERAPHICVS, quàm ut eum umbra ſepul-

* In præf. QQ. nat.

 chra.

chralis attingere, vel atra mors violare posset. Neq; expectavit annos ad proceritatem, jam tunc in Pygmæo Gigas, Hercules in pusione, in puero Atlas, qui labantem fulciret Ecclesiam, totius Christiani orbis sustineret axem. Nullo egebat, quo auctore, innocens aut probus esset; seipso, hoc est, more Ignis, in sublimia ferebatur. Impleverunt sinum ejus maximæ dotes, priùsquàm eas recipere posse crederetur. Vidit eum SERAPHICI FVNDATOR ORDINIS, & laudavit, dignum commendatione, antequam laudaretur. Ponite jam stylum Oratores, silete Vates, nihil hic ausit Cyrrha vel Latium, cui longe illustriorem Vmbria Laudatorem FRANCISCVM dedit. Plinius Trajanum, Constantinum Nazarius, Pacatus Theodosium, Theodoricum laudavit Ennodius, postquam omnes laudibus suis antiquiores essent: quod præstabilius est, adhuc puero BONAVENTVRÆ panegyrim dixit FRANCISCVS. Dixit, *Magnum fore in Ecclesia Numinis, Virum*; & quid de illo nisi magnum proferret! etsi jam antea maximus erat, antequam nobis aliqua spes de magnitudine illius offerretur.

Rapit me ad se Tuum BONAVENTVRA Nomen, omnia complexum, quæ mortalibus facere votum possunt. Quæcunque Superi terris bona sparserunt, quemadmodum favos Hybla, Nilus fontes, rosas Pæstus, Tuo nomine collegisti. Nemo nominare potest BONAVENTVRAM, quin omnium in uno bonorum recordetur. Hic Te D. PRÆSVL appellat, qui omnium decorum meminit: ut olim Pij Religione, Leones magnanimitate, aureâ facundiâ Chrysostomi monstrabantur; quæ omnia uno isto nomine continentur, ut meritò, quibus Tu Excedris Doctor, Pontifex Tiaris obtingeres, * *Omnia sibi pariter* Tecum *bona venisse* gratularentur. Ita, quidquid bonorum latè porrigitur, unico nomine Tuo, velut incendio

* Sap: 7.

cendio absumpsisti. Neq; hoc sufficit, quod omnia Tecum nobis offeras, restant Tibi adhuc, quæ post omnia nobis polliceris. Ita singula nobis *Bona* portendis, ut cùm maxima dederis, plura adhuc Tecum *ventura* prospiciamus. Et hoc est, more Ignis ardere, inflammare omnia, & post summa, ultra niti, altioribusque adhuc fastigijs imminere.

Sub ALEXANDRO ALENSI posuit rudimenta eruditionis, neq; potuit erudiri, nisi à Magno inter universi hujus Magistros Alexandro; ut intelligas Sublimitatem ejus, quod instituendo non sufficit, nisi orbem triumphet Scientiâ, & velut Reges inter, Macedo, Magnus sit inter Doctores Alexander. Sed tamen, alijs omnibus major, Te solo minor est: qui tantùm post Te Homines relinquis, quantò propiùs Numini viciniam posuisti. Postulaverat à BONAVENTVRA AQVINAS, quos tractaret codices, quæ scientiarum lustraret monumenta? Extulit digitum DOCTOR SERAPHICVS, & quia movere manum nisi ad sublimia non posset, ostendit suffixum Cruci Deum; monstravit THOMÆ vulnera, hoc est, Abyssum Abysso aperuit, hiantesque Numinis cicatrices, suam bibliothecam indicavit. O nobilem Dei-Hominis Hippocrenen! lympidiorem Caystro, pretiosiorem Gange, omni Virgineâ Castali puriorem! Ite Pactoli! cœlestes ite Eridani! feliciùs BONAVENTVRA, *Fontes Salvatoris* bibit. Quantùm hoc est D. DOCTOR? ultra homines Te effers, & Deum attingis. Infra Te est, quod Deus non est, superasq; quod Sapientiâ minus est. Quanta hæc Sublimitas Tua! Numen Te instituit, & ut illecebram faciat diligentiæ, seipsum Tibi legendum exhibet. Ne imponat Tibi modestia Tua, ad vestibulum Te Sapientiæ hæsisse: ipsam, per vulnus Lateris, regiam irrupisti. Crede amicam Tibi

Sapientiam: ad latus Te admisit. Nemo, illius amori, Te vicinior est: quod pretiosissimum habuit, hoc est, Cordis volumen Tibi aperuit. Profecit Deo Auctore BONAVENTVRA, & ut omnes superaret, didicit, quæ sibi Deus dictavit. Non invidit Achilli, quòd sub Chirone, Leonum medullis aleretur: ipsa etiam Numinis viscera, legendo, depastus est. Quantum ab his robur scientiæ! quanta doctrinæ vis! evexit se supra mortalium ingenia, & ut nemo sufficeret illum intelligere, Deum ipse intellexit. At parum fuit fossum Numinis pectus sibi patere: tinxit ipsos in sanguine calamos, ut quod scriberet, Verecundia & consanguinea Deo Virtus scripsisse videretur.

Concepit Honori Deiparæ Librum, quem CORONAM VIRGINIS meritò appellari voluit, quòd illam calamo quoq; suo coronare dignus esset. Quanquam cùm illi hoc literarium imposuit sertum, suis Reginam Fastis elegit, ut latiùs imperaret. Altero volumine SEX ALIS SERAPHIM instruxit, quòd ipsos edocere Angelos posset, quò altiùs evolarent. Nisi putes ipsum hunc Seraphinum nostrum, pluribus, quia sex, eguisse alis, ut tantam Sanctitatis suæ efferre ad Superos posset majestatem. Inter reliqua, quæ innumera sunt, Seraphica Opera, unâ feliciq; junxit lucubratione, ITINERARIVM ad DEVM & ad SEIPSVM: ut constaret, proximum post Deum, ad BONAVENTVRAM iter esse. Quanquam insolens id ac novum, itinerarium meditari ad seipsum: nisi dicas, distare illum à seipso, & latè porrectam magnitudinem ejus, Virtutibus, veluti magnis quibusdam milliaribus distingui. Extendit se supra se, neq; unquam attingere se posset, nisi seipsum sibi insolitâ demissione inclinaret. Tantus est SERAPHICVS BONAVENTVRA, ut se totum conveniat ipse, ingens illi ad seipsum iter suscipiendum est.

Muta-

Mutavit Togam illius Purpurâ Gregorius X, & quia jam invenerat talem eminentiâ Virtutum, declaravit tantùm, non fecit Eminentissimum. Accepit eum Antistitem Alba: cui alteri Præsulum Doctorumque Gemma, quàm Albæ debebatur. Habes INTEGERRIME BONAVENTVRA, Vrbem niveis moribus Tuis concolorem: habes Tuæ theatrum Innocentiæ in civitate Candoris. Sed Modestissimus Præsul credidit iterum ad Albam lapidibus pluere, cùm ad se Præsuleam delabi cerneret dignitatem. Immò leviùs illi fuisset, gravissimo peti saxo, quàm trabeâ, maluisset; Albanis montium jugis, quàm Insulæ caput submittere. Minùs ex integro Divi corpore, Hetruriæ rupes elicuissent sanguinis, quàm Pontificius murex, ex modestissimâ facie, ruboris expressit. Quanquam nemo illum irrubuisse vidit, ne vel sic dedisse in se locum purpuræ videretur. Ita se totum assiduis exhauserat jejunijs, ut neq; tantùm illi cruoris reliqvum esset in venis, quantum ad tingendam rubore frontem satis esset. Ergo totus ad oblatam sibi expalluit trabeam, ut nisi constitisset, jam antea talem fuisse, ab illius vultu traxisse colorem Alba crederetur. Postquam verò ad ipsius Vrbis constitit mænia, existimavit se, in fatalem Modestiæ suæ scopulum impegisse. Non suum magis Prometheus expavisset Caucasum, quàm ille ad Albanorum intuitum murorum suæ timuit demissioni. Diu quin etiam luctari debuit, cogereq; oculos, ut aspicerent, quòd hos illi Albæ dignitas disgregâsset. Sed frustra es ANTISTES RELIGIOSISSIME: non utiq; Verecundia Tua, ita, oblato sibi duram se præbebit Honori, ut ad has Albæ rupes frangi non possit, aut saltem poscentium Te Civium Tuorum lacrymis emolliri. Immò si diutiùs repugnas, Tergemini Horatij Curatijque (quorum hîc ingens fortitudinis Mausolæum est) excusso surgent tumulo, & versis in Te conspirabunt armis.

mis. Gloriosiùs ducent, pro ſuo nunc Antiſtite, quàm olim pro totius ſecuritate Latij decertare. Sed Tu, neq; conſpectis mortuorum Manibus terreri potes ad honorem, qui nihil ipſo magis honore formidabas. Hinc aut Deus, aut Dei Vicarius eſſe debuit, qui Te ad Purpuram cogeret, Infulaſq;. Verùm aſcende jam Albaniæ juga, in quæ, Tua Te pietas deducit: neq; enim aliter, quàm lacteâ Virtutum viâ, Albam attigiſti. Conſcende Eminentiæ Tuæ ſolium, vel ſic, ſupra Hetruſcos poſitus montes, futurus Eminentiſsimus. Patere, Te hic interim à Civibus Tuis collocari, qui quòd Te cælo adhuc inferre non poſsunt, propiùs admoverunt. Emicat D. BONAVENTVRA, & ne ſolius Siciliæ Veſuvius aut Ætna ignibus ſuis colluceant, etiam Albanorum faſtigia montium, SERAPHICVM ſupra ſe extulerunt IGNEM.

Ingens oborta tempeſtas, malaciam Eccleſiæ turbaverat, ſcilicet infeſtum Orthodoxæ fidei, Græcorum Schiſma, honorem Altarium, Templorum ſecuritatem, infelici diſcordiâ diſtrahebat. Quid faceret Sanctiſsimus Gregorius X? celebravit Lugduni Senatus-conſultum, vocavit Bonaventuram, hoc eſt, diſsidiorum errores ad Seraphicum Ignem exploravit. Inſtituat contra Romanos Amilcarem Annibal, contra Gothos Stiliconem expediat Theodoſius, Iphicratem opponat Ægypto Artaxerxes: ipſius Vicario Numinis, occurrit præter Bonaventuram nemo, cui ſecuriùs Eccleſiæ propugnandæ integritas crederetur. Neq; diu tenuit diſcordis ferocia Græciæ: omnes ad Seraphici lucem Ignis patuerunt doli, ut apertiùs vincerentur. Citiùs rebelli ſectæ manus adſtrinxit, quàm ut eas contra Religionis ſancita erigere poſſet moveretque. Ita ſtatim illa Erebi Hydra, ad Seraphicum Ignem, multiplex poſuit caput. Quodſi affirmante id Lucano, * *Pacem ſumma tenent* - - -; quanta Tui Eminentiſsime

* lib. 2,

Præ-

Præsul tunc Sublimitas fuerat, cùm altiſsimam toti latè orbi Christiano dispensares pacem. Ad primos vultûs Tui radios, ceu ad lapsos cælo fulminum ignes hæc Ceraunia coaluit gemma, discordium unio animorum. Sed *

Heu faciles dare summa Deos, eademq; tueri
Difficiles! - - - - Iam variantis Græciæ studia composuerat, & augusta Religionis solennia, Petri Annulo consignaverat: licuit aliquid morbo, jusque datum in Præsulem Innocentiſsimum infirmitati. * Plura paſsus est deliquia, quòd unum satis non esset, ut appareret, magnum in terris Sidus eclypsari. Et qui toties pondere in casum trahi visus, etiam corruisset, si cadentem capere tellus totum poſset, aut nisi SERAPHICI natura IGNIS eſset, sursum ferri. Cùm sic viribus deficeret, argumentum erat, eum, Lugdunensi Comitio, omnes vires suas posuiſse. Scilicet, minoris jam suam ducebat sanitatem, quòd discordes Græcos ad saniorem revocasset mentem. Etiam agere animam optabat, ne aliquando nil pro Deo agere videretur. Verùm EMINENTISSIME BONAVENTVRA, quotiescunq; annuebas capite, orbem ruere tecum timuimus. Nec sic tamen Tibi abijcere Te licuit: etiam cùm toties victum infirmitati caput submitteres, nunquam Te hominibus æquâsti. Sublimior eras, quàm, ut quantâcunq; Præsulei Verticis demiſsione, adhuc supra homines non emineres. Nunquam cecidiſses lecto, si præ pertinaciſsimo auri argentique odio, Scipioni Tuo Pontificio, niti voluiſſes. Sed Tu fato malebas occurrere, quàm ab opibus aliquam poscere opem, ne pretio vitam deberes, omni major. Qui orbis gaudia & omnium lætitiam risusq; populorum sustinebas, neq; aurum vel argentum in Tui causâ expallescere voluisti. Video Seraphicum Ignem, ceu Antonij Pij fulmen lecto impositum! Neque Tibi

* Lucan: l. 1. * Biverius l. 5. c. 3.

 ANTI-

ANTISTES MAXIME, hæc ruina detrahit: * *procubuisti, majorq; jacens* Tua magnitudo *apparuit*. Orbis Te non capit, si assurgis: ultra Zodiacum & astra, caput effers, si rectus stare velis. Tanta est EMINENTISSIME PRÆSVL sublimitas Tua? superior fato Tuo es, ipsiq; Te Empyreo Tuæ insererent Virtutes, nisi eas gravissimæ infirmitatis pondere affixas lecto teneres. Cùm per ægritudinem non liceret ori, applicuit lateri Eucharistiam, tamq; illum profundè ambivit Numen, ut ad cor ipsum penetraret. O Solum fertile *Frumento Electorum?* o Aram *Igne consumente* Deo collucentem? viliores huic jam sunt orbis deliciæ, postquam cor Tuum apsumpsit. Tu tamen SERAPHICE ANTISTES non potes non eminere, qui ipsius Numinis attigisti sphæram. Vmbrâ turrres, cœlum puteo, integrâ Cyclopem pinu, Te, ipso metimur Deo. Excedis orbem hunc, postquam Eucharisticum Orbem complexus es. Sed heu me, Tuumq; Lugdunum, cui Tu PONTIFICIVS LEGATVS, Albam cui VIGILANTISSIMVS ANTISTES, Romam cui EMINENTISSIMVS CARDINALIS, Lutetias quibus DOCTOR SERAPHICVS, Orbem deniq; universum, cui Tu BENEVOLENTISSIMVS Pater obtigisti. Iam Te ultra mortalitatis porrexisti metam, & major mortalibus, mortalis esse desiisti. Credo equidem, quamdiu Lugdunense teneret Comitium, ipsos quoq; consilium iniisse Superos, an Te mori sinerent, qui Religionem erga illos, terris immortalem relinqueras. Stetit contra Te sententia, quòd ipsam quoq; cœlo vitam offerres, ne illud aliquo indonatum munere præterires. Proximum, Tuo Lugduni Comitio, Tibique, vivendi finem, tempus attulit: ut constaret Te in fidei causâ occumbere. Nempe ut hæc per Te propagata, latiùs terras occupare posset, Tu PRÆSVL MAXIME, terris excessisti. Tantam

jura-

* Lucan: l. 3.

juraveras egestatem, ut nullius nos nisi fidei solius heredes scribere posses. Ritè omnia Galliam credere docueras, unum credi non poterat, nisi esses mortuus, quòd mori posses. Dicam quod fuerat: ideo finito decessisti Concilio, quod illi Latinorum Græcorumq; Patrum coronæ, nil pretiosiùs relinquere posses præter unionem. Nemo collocatos feliciter à Te in hoc fidei Senatus-consultum labores Tuos Superis referre poterat, nisi Tu illos ipse fidelis sincerusque narrator adiisses. Illuc Te Supremum novissimumque hoc facinus Tuum evexerat, ut movere pedem nisi in cælum non posses.

Obijt D. BONAVENTVRA, anno ætatis quinquagesimo tertio, hoc est, annum excessit Iubilæi, tam procul ab indulgentiâ, quàm procul à noxâ. Horis matutinis, quod cum puderet, tardè sese ad Superos sive è lecto sive è terris proripere. Scire tamen licet, quan tus occumbit: * flevit cum Gregorius X. Tan tu Sanctus digniùs fleri non poterat, quàm à San- ctissimo. Credo, quòd ipsum flere non posset Numen, flev illius in terris Vicarius. Ita cecidisti altiùs E- MINENTISSIME PRÆSVL, quàm opinari licet; ad superos ipsos & Summum in terris Pontificem clades Tua pertigit. Hoc quoq; cum reliquis Ignibus commune SERAPHICVS habet IGNIS; adhuc fertur in sublimè, etiam cùm videri desijt.

Iam ducenti, ab obitu DAntistitis, fluxerant anni, cùm lustrato tumulo, integrum illius illæsumque CAPVT profertur. Tantum restat de PRÆSVLE ALBANO, de SERAPHICO DOCTORE. Cæca mors non vidit, quid terris relinqueret, etiam hoc sublatura, si manibus suis complecti totum potuisset. Majus illis exuvijs pondus erat, quàm ut quibuscunq; viribus possent ultra orbem nostrum asportari. Malè nobiscum divisissent Superi, nisi saltem Caput nobi

 reli

reliquissent. Hoc unum manere debuit, quo, ereptu, terris BONAVENTVRA, posteritati venturisq; ætatibus interesse posset. Scilicet, Trojæ Saguntique incendia residuo cinere, exusta Herciniæ nemora fumante adhuc titione, mortuum Leonem ungue, extinctum Gigantem humero, Solo SERAPHICVM DOCTOREM noscimus Capite. Huc literarum adyta, Scholæ Parisiorum, huc totius Athenæa orbis? omnia ab hoc uno Capite vobis polliceri licet. Hìc grandè Sapientiæ augustal, omnis ærarium scientiæ, totius Theologiæ habetis emporium. Nec elingue mutumq; credite Caput, ad quod, ita surda profecerunt marmora, ut illud felicitati nostræ integrum reservarent. Quanta hæc SERAPHICI CAPITIS gloria! nil contra illud mors ausa est, nil avaræ licuit Libitinæ. Edax rerum Tempus, absumere illud non potuit. Nemo mortuus triumphum egit, in sepulchro vicit nemo; D. BONAVENTVRA inter funera triumphavit. T[illegible] erat, ut etiam jacens, toto, supra mortem & [illegible] fata, emineret Capite. Hæc est IGNIS SERAPHICI SVBLIMITAS, quovis fato ipsoq; Tempore superiorem esse. Sed jam ad Vos RELIGIOSISSIMI ORDINIS SERAPHINI, mea delabitur oratio; proximum mihi ad Vos post BONAVENTVRAM iter est. Ita DIVOS MAIORES VESTROS refertis, ut felici metempsichosi, illorum rediisse in terras animum suspicemur. Hoc tantùm Vos inter discrimen est, quòd unum IOANNEM SCOTVM Subtilissimum appellaveritis, omnes sitis. Ita Theologico præstatis studio, ut palam sit, reliqvum Vobis BONAVENTVRÆ Caput esse, & adhuc, ingens apud Vos Scientiarum Capitolium excitari. Immo si Vestra Vos præ aliis volare sineret Modestia, cerneremus alatos Seraphinos. Hæc de Vestro D. Antistite, simulq; de Vobis SERAPHICI PP, quòd vno cum BONAVENTVRA vivatis Capite. Si quid hactenus de utrisq; minùs splendidè, & calamum & operam SERAPHICO IGNI devoveo.